

Donaria Phoebi,  
festivitati nuptiarum  
viri reverendi &  
præstantissimi, dn. ...

*1 Ic 1658 Heinricius, Andreas Henrici*



National Library  
of Sweden

DONARIA PHOEBI.

Festivitati Nuptiarum

26

*Viri Reverendi & Præstantissimi.*

DN. A N D R E Æ  
HEINRICII, Philosoph: Can-

didati Meritissimi & in Regio Gymnasio Wi-  
burgensi Physices Lectoris optimè designati,

SPONSI,

*Et Pudiciss. ac Venustiss. virginis*

CATHARINÆ Thesseleff /

*Plurimum Reverendi ac Clarissimi Viri,*

DN. M. CLAUDII Thesseleff / Ecclesiæ

Wiburg. Pastoris & in dicto Gymnasio S.S. Theo-  
log. Lectoris Primarii Laudatissimi Filiæ dilectiss.

SPONSÆ;

Benedictæ Triados auspiciis Wiburgi Careliorum

6.d. Januarii ineuntis A. clo lcl viii. feliciter & mag-

nificè celebratæ: ab amicis & patriotis, inclytæ Acad.

Aboëns: alumnis amicissimè transmissa.

A B O Æ

Imprimebat PETRUS HANSONIUS Acad, Typ.



1658

26



**P**arnassi vacuos Arctos mirata recessus  
Et tacitas Phœbi sedes tenebrascere sensim  
Viderat ac longo verrentes syrmate terram  
Castalides: faciem hanc Cypria indignata doloris  
Fortunæq; vices quibus inclita regna tumultu  
Turbida Bellonæ furiis agitata minantur  
Exitium, mortale genus tot stragibus ultrò  
Deficit, armipotens quas fecit & horrida pestis.  
His Dea, quis finis statuendus cladibus, inquit, (bæ  
Quæis quantum est hominum, orti succumbere acer;  
Cogitur ante diem; nec charos fata nepotes,  
Nec genus humanum concedunt invida mundo.  
Sic erit ut nobis exprobrent secla futura  
Imperium deses vel regna ignava, Quid ergo  
Tu pharetrate puer cessas, quin præpete pennâ  
Orbe voles toto, desvetaq; corda sagittis  
Succendas flammisq; tuis: reparabitur isto  
Terrigenum jactura modo & dispendia Martis.  
Ille abit & dicto parens duo pectora telis  
Sauciat, *Heinricio ac Catbarina* inspirat amorem.  
Mox Phœbi delubra patent, magnaq; refulsit  
Luce chorus juga sacra colens; prætexitur amplus  
Huic thalamo titulus: tum hymen cantatus in alto  
Vertice personuit Pindi: modo dicere laudes

Sponse

Sponse tuas, modò vota Deo sacrare Camoenæ  
Incipiunt. Unâ hoc Sponsum sibi nomine clarū  
Vendicat hoc alia; ætatis cui tempora cuncta  
Summus honos Musis addicere & ire per artes  
Ingenuas. Latios didicit, Grajosq; lepores,  
Verbaq; constringit numeris, tortūq; sophisma  
Maximus ingenio solvit, causasq; latentis  
Naturæ indagare potis nunc prævius ibit  
Militibus Phœbi in patria, de vertice Cirrhæ  
Abodicæ remeans & honoro nomine stirpem  
Illustrans. Super hæc lunæ, solisq; labores  
Observat, tacitoq; notat labentia cœlo  
Sidera, metitur terras, veteresq; novasq;  
Historias doctus, vitam virtute beatam  
Exigit. Hæc Sponso felicia facta decoro  
Gratulor & sociam thalami te compare dignam,  
Quam gen<sup>9</sup> & placidi mores, quam gratia formæ  
Commendant, æquantq; tuis charissime votis.  
Quid precer his ultra nisi mitia fata, nepotes,  
Divitias & perpetuum hæc qui vincit amorem.  
Excipiat tandem peritura hæc gaudia cœlum.

*Ex animo volebat Aboæ  
d. 2. Jan. A. 1658.*

Martinus Miltopæus Aboënsis.

A 2

Perfo-



**G**Noma sonat vulgò: simili simile associatum  
Felicis vitæ stamina longa facit.  
Gaudet avisq; pari, gaudent animalia quæq;  
Bosq; bovis spectat pectore latus opem.  
Tam miram nostri curam fert Astriger almus,  
Res miro cunctas qui ordine disposuit.  
**ANDREAS** noster volvens **HENRICIUS** hæce,  
Constanti absolvit pectore pensa tua:  
Multa tulit, fecitq; puer, sudavit & alfit.  
Vinceret ut tandem req; fideq; parem.  
Nunc psallant juvenes, psallat nunc sobria pubes,  
Vicit ceu petijt: plaudite Pierides.  
Thesleviam fabor lepidam, castam Catharinam,  
Stirps sibi & claris dotibus ecce parem.  
Te verò Heinricide, felicem quippe putamus;  
Gestit in amplexus jam altera sponsa tuos.  
Fidam scis sociam sophilam; fidam Catharinam  
Expertere: etenim teste Palingenio  
Fidior est socijs, est fratre fidelior uxor.  
Et Matris vincit candida Nupta fidem.  
Rara fides socijs, semper fidissima conjunx,  
Hujus in audebis fundere quæq; sinum.  
Si te debilitas, morbus vel grandior ætas  
Tangit, ea affatur consiliumq; dabit,  
Subvenit, assistit, vigilat, vigilando ministrat.  
Obsecro, quid tali dulcius esse potest  
Sorte? Deo acceptam referas Doctissime Sponse,  
Cordeq; dulcisonum duc in amore melos.  
Dilige quàm lætis solam hanc tam rebus in artibus.  
Sponsa pudica tuum Tuq; revince virum.

ECHO



Omnipotens quoniam mundi fabricator &  
Author

Ambos vos junxit, vivatis ut, opto, beati!  
Concordes, multa & numerantes pignora lecti,  
In summâ: vobis sint felicissima quæq; !

Serweil/ o höchster Gott/ du wilt den Ehbund  
haben/

So wollest du auß Gnad mit deinen Segens gaben  
Das sie ohn alles Leid so sich darein begeben/  
Viel zeit vnd lange Jahr zusammen mögen leben/  
Auff das kein vrsach sey / auff diesen bund zusagen/  
Ehr sey des Jammers vol/ vnd vnfre tage plagen/  
So genießt der Liebe recht/ so Gott in diesem leben  
Euch gönt/ Ehr euch bescher/dz ewig auch darneben.

### Auffgabe.

Dem Bräutigam gibt die Braut was sie hat selber nicht/  
Vnd das was sie schon gibt/ Ihr nimmer doch gebriecht/  
Ihr Jungfern werdet ihr den außspruch lösen können/  
So wird man euch der Braut zu folgen nach vergönnen:  
Die solche dunkelheit n Vn nicht verstanden hatt/  
Die komme nur zu mir zu holen ein den Rath.

*Ita Gratulationis causa deproperabat*

HENRICUS von Bürger.

Belligerum varios vidit miscere tumultus  
Orbis & Arctoi regna inimica Venus:  
Mars, ait, effrenis toto indignatur in orbe:  
Rura viris urbes civibus orba dolent.

Heu furor est mundi hic. gentes evertere magnas  
Et vacua hæcce feris reddere regna locum.  
Tu Gradive tuas acies atq; agmina solve,  
Omnis & in falces horridus ensis eat:  
Secula quæ quondam Saturno rege fuerunt  
Aurea; nunc redeant pace beentq; solum.  
Hæc Dea purpureo depromens ore vocatum  
Arte suum natum instruit: ille volat,  
Ocius inflammans animos, venitq; Wiburgum  
Urbs quæ Palladijs artibus alma viget.  
Sauciat HEINRICII & CATHARINÆ pectora Tesseff:  
Ille suæ Sponsæ captus amore sonat  
Jubila & illa sui detenta cupidine Sponsi.  
Lata ait, iu thalamum Candide Sponse veni.  
Hæc ubi Parnassi senserunt vertice Musæ  
Gaudia, carminibus personuere Deæ.  
Jam studium Sponsi celebrari artesq; decoras  
Audires Sophiæ & nomina magna cani.  
Jam placidos Sponsæ mores & lumina casta  
Et quæ conjugibus vita pudica fuit.  
Singula non memini: mihi saltem dicere vota  
Sufficit. ô longum vivite: conjugij  
Pignora multa simul generate & gaudia vestra  
Excipiat cœlum vos relevetq; senes.

*vovet, L. M. g.*

HERMANNUS P. Thortwoeste.

DIALOGUS NEONYMPHORUM

Andræa Heinricij & Catharinæ Thefeleeff/ &c.

Sponsus **T**Empus & hora jubent cultis valedicere tectis,  
Ergò tui officij est me Catharina sequi.  
Me sequere ad patrios modò non invita penates  
Portio tu cordis dimidiata mei.

**Sponfa.** Hoc tempus praesens modo poscit, & hora requirit  
Obsequar ut jussis, Te meritoq; sequar.  
Ast iter impediunt lacrima super ora voluta  
Debile qua pectus intus & extus agunt.  
Insuper amplexus est triste relinquere Matris  
Et procul a suctis adibus esse Patris.

**Sponsus** Hercule confiteor nihil unquam tristius esse  
Quam non posse sui patris amore frui.  
Insuper est grave quid complexu Matris abesse:  
Complexus adeo scis Catharina meos.

**Sponfa.** Complexus dabit ille mihi quid Sponse suavis?

**Sponsus** Suppeditat patria mascula fulcra domus.

**Sponfa.** Commoda quae praestant mi talia fulcra marite?

**Sponsus** Ut mihi sic parient gaudia mille tibi.

**Sponfa.** SVM tVa, teqVe seqVens Vnâ tVa IVsa Capesso  
Na foreVnet opVs qVI regIt astra DeVs.

In decus hæc scripsit Neonymphis  
GABRIEL Hammar.



V O T U M,

**S**ervus ut evigilat ferratus ad ostia Regis  
Sic foribus vestris igneus adstet Amor!  
Ut sterILI venâ CorDe taMen tepentI grator  
JONAS P. Unbergh.

